

94

Lib. I. Cap. IV.

tivum, sicut v.g. *homo* est concretum, sed non est connotativum. Similiter differunt à se invicem abstractum & absolutum, ut *latius & angustius*, absolutum enim est *latius abstractum*, e.g. *homo* est absolutum, non tamen abstractum. Hucusque de definitionibus antepredicamentalibus, & iis, quae à recentioribus adduntur.

56. Sequuntur duae divisiones antepredicamentales, quarum altera est eorum, quae dicuntur, altera eorum, quae sunt, Aristot. *1. cat. c. 2.* prior divisio est *vocum*, (quamvis quidam in hoc dissentiant, de quo vid. *Averroem comment. ad cap. 2. lib. 1. cat. Simplic. ibid.*) posterior verò rerum.

57. Eorum, quae dicuntur, alia dicuntur *συνπλοκῆν*, secundum *complexionem*, alia verò *ἀνεσυνπλοκῆς*, sine *complexione*.

58. Secundum *complexionem* quae praedicantur, sunt voces explicitè combinatae & conjunctae, ut faciant integram enunciationem, e.g. *homo currit*, *homo vincit*, *Amen*. *1. lib. cat. c. 2.*

59. Dicitur i. explicitè combinata & conjuncta: nam cum dico, *currit*, etiam indicatur combinatio quaedam, *cursum* scilicet & rei, quae cur-